



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

quos ipse conuerterit. Quod autem quosdam non conuertit iudicium est. Præterea quod statuit deus immutabile est, quod cōminatur ipsius amouetur gratia, Statuit contra contemptores, cōminatur filiis, ut quando dicit, Adhuc XL. dies & Niniue subuertetur &c. Item, Potuisset Sauli dimitti peccatum, utcumq; non fuisset secundum dei sententiam restitutus in regnum. Non enim propterea fuisset Dauid condemnatus, si non fuisset redditus regno in Absolonis persecutione, Crux enim fuisset, non impietas, non illam sed hanc odit dominus &c. Sed quid attinet ista multis dicere, cum statim in fine huius capituli dicatur, dominū pœnituisse q̄ constituerit regem Saul, id quod directe pugnare uidetur cum eo quod præcessit. Neq; enim homo est ut agat pœnitentiam. Ad quod dico breuiter, Deus more humano non agit pœnitentiam, nam omnia præscit, tamen scriptura quæ nobis loquitur, more humano de deo loquitur, & uelut de homine dicit deum pœnitere, quando immutare uult quod fecerat, ut Gen. 6. Vidēs deus q̄ multa malicia &c. Contra dicit deum non pœnitere, quando deus uult immutum tenere quod statuit, ut Iurauit dominus & non pœnitebit eum &c.





In reprobato Saule inungitur Dauid fra-  
 trum minimus, per cuius lineam regnū  
 tandem redit ad deum in Christo Davi-  
 dis filio, ut supra diximus, illum spiritus  
 malus exagitat, hunc spiritus bonus immutat & con-  
 fortat à deo dilectum &c. Ille enim post hac tyrannia-  
 dem suam haud obscure declarat uel in Dauidem,  
 quemadmodum omnes principes qui spiritum dei iga-  
 norant, et tamen in hoc quoque excusatur à sapientia  
 carnis, & persequitur illum qui uidetur appetere reg-  
 num & quem populus diligit quasi contra regem, ut  
 ne uel ista tyrannide boni principis nomen amittat,  
 dum hypocrisis omnia tegit. Hic autem uerus coram  
 deo iam rex nihil minus uidetur quàm rex, regnante  
 adhuc coram oculis hominum Saule, imò quotidie tra-  
 ditur in mortem, cicitur nō solum ut exul, sed etiam  
 ut malefactor, ut in sequenti historia uidebis. Ita præ-  
 parat deus suos electos ad regnum uerum.

#### ALLEGORIA.

Duplex regnum est ubi populus dei nominatur. Sau-  
 lis & Dauidis, illud hypocritarum, hoc electorum, illi  
 florent, sapientes, potentes, iusti iudicantur & à se &  
 ab alijs ante crucem, Hi autem cruce & morte ducun-  
 tur ad gloriam & uitam, ut interim nihil in eis uideas  
 nisi despectū, insipientiam, peccatum, damnationem,  
 & ipsi in se quandoque nihil aliud uideant, quemadmo-



*dum in multis psalmis uides. Hæc est uia dei carni incognita, quam ipse reuelat paruulis. Saulis regnum quod parit antequã parturit Esa. ult. non est dei, Dei autem est regnum Dauidis, quod est in Christo æternum. In primis uero Dauid caput nostrum Christum representat, Deinde & omnes quotquot sunt in Christo &c. De unctiõne supra diximus.*

### Quo uadam.

*Vides Samuelem esse peccatorem similem nobis. Non sine peccato potest esse iste timor, uerũ propter hunc timorem non est omittendum quod deus iubet, ut maxime ista impuritate, id est timore, aggrediaris. Fides hic absorbet peccatum ne imputetur. Libenter ista de sanctis lego, alioqui quæ mihi consolatio in miraculis eorum?*

### Et ait dominus.

*Non ergo uides hic mendaciũ, ubi dominus iubet & instruit, & nihil dicitur contra conscientiam, ut hoc exemplo liceat aliud fingere ubi timetur, De mendacio uero sanctorum dicemus forte cap. 20.*

*Sanctificamini. scilicet ut abluatis uos aqua & induamini mūdīs uestibus. Quæ significant fide accedendũ esse ad deum qua purificantur corda &c.*

### Vidit Eliab.

*Prohibet dominus Samueli in exemplum nobis, ne suum sequatur iudicium, secundum ea que apparent in Eliab, quandoquidem omnia iam ante fefellerunt in*



Saule. Si oculos suos secuti fuerint decipiuntur hypocrisi & bona specie etiam sancti. id quod ego intelligo concupiscentiam oculorum in epi. iohannis. Dominus autem promittit nobis oculos suos, Psal. 31. Firmabo super te oculos meos &c.

Paruulus. Isti debetur regnū quem neq; pater neq; fratres neq; ipse Samuel cogitarant. Regnū dei non est cum obseruatione. Nouit dominus qui sint sui, & totum cap. 53. Esa. indicat Christum propter formas crucis non agnosci. Hypocrisis autem in Eliab primogenito infra cap. sequenti se declarat cum inuis de dicit ad Dauid, Quare uenisti &c.

Spiritus domini recessit a Saul.

Quid queso istud est? nōne & supra Saulis impietas descripta est? cur nunc primum scribitur spiritus domini recessisse ab eo? Respondeo, Spiritus domini sic est in peccatoribus postquā recesserunt à deo, ut arguat conscientiam eorum de incredulitate, quemadmodum Christus dicit, spiritus arguet mundū de peccato, quia non credunt in me. Recedit autem dum desperantes traduntur in reprobam mentem, quando amplius nulla spiritus increpatio apud cos ualet, sed contemptores sunt & irruūt de scelere in scelus. Hoc est quod dicit dominus Gen. 6. Non diiudicabit spiritus meus in homine in aeternum. Antehac igitur Saul potuit conscientiam habere peccati, posthac omnino



contemnebat, & tyrannide uoluit regnum statuere etiam uidens dominum ad Dauidem transisse, ut infra uidebis, quæ summa impietas est, uelle scilicet etiam contra deum manifeste pugnare, sed ita agitat spiritus nequam, qui reprobam mentem agitat furijs quousult &c.

### Scientem psallere cithara.

Multis questionibus se torquent hic, dum exquirunt num demones delectentur aut moueantur musicis instrumentis, quemadmodum similibus ferè nugis solent ubiq; chartas complere. Breuiter sic habeto. Instrumentis musicis tunc, ut nunc nostri, sese oblectabant. Verū non ut nostri, qui gaudent impuris carminibus, canebant solam dei laudem & misericordiã compositis psalmis & hymnis, id quod diabolus ferre non potest ubi fide psallitur & cantatur, quemadmodū canuisse Dauidem non dubiū est. Quoties ergo spiritu domini psalmū canis domino, scito tete cithara cantare Dauidis, maxime dum cantas alijs ut respiscant à Sathane laqueis per uerbū dei, sed contigit Dauidi quod queritur dominus, Cantauimus uobis tibijs & non saltastis, quæadmodū & Samueli quod addiur, Lamentati sumus & non plorastis. Figura est Saul illorum qui melius uidentur habere ubi audiūt uerbum dei, ceterū nihil mutantur, cadit enim uerbum secus uiam &c. & nonnunq; psallentē confodere moliūtur, ut infra ca. 18.



Ridiculum est hic multa quærare de fidibus, cum hic solum sit fidei in Dauide negociū, Nam de hypocritis qui opera sanctorū tantum respiciunt, & per hæc sese placere, ac illi placuerūt, putant, dicitur Amos. 6. Quæ canitis ad uocem psalterij, Sicut Dauid putauerunt se habere uasa cantici &c.

Iubeat. Hæc casus putantur cum sit prouidentia dei de Dauide. Sed uidebis qui ad aulam honorandus iudicio carnis rapitur, ad crucem certe rapitur iudicio dei, ut infra uidebis.

## CAPVT XVII.



In hac historia quis non uidet qui d ualeat fides contra Satanam & exercitum tenebrarū, cui seruit hic mundus dum persequitur euangelium in Israelitis, id est, populo dei?

ALLEGORIA ergo est.

Goliath est princeps mundi, Philistæi regnum eius, Saul pastor absq; fide, Dauid Christus & quisquis in Christo fuerit iam spiritu robustus. Israelitæ trepidum adhuc euangelij uulgus, quod per Christum & bonū pastorem, id est, euangeliū prædicatorem animatum omnibus hostibus superius euadit. Item Saul more suo cunctator est, & facit tremere cunctum Israelem ad unum Philistæum. Regnum enim hypocritarū tale est aduersus Satanam, & dei iudicia ferre non potest, nõ enim est illic spiritus uictor. Solus autem Dauid, id est,